



Nob. et ampliss. dne,

Inoris mea frater Servatius Panhuysius, mihi ut germanus equè dilectus, presentes has extorsit. Ut negarem propinquæ affinitatis ratio non permisit, et quò publicis haud dubiè intentum audentius interpellarem cum amicitia pridem inter nos contracta, tum solita tuæ humanitatis fiducia animum adclidit. Rogat idem mecum, ut, pro ea quæ apud illustrissimum principem vales gratia, intercedere apud eundem ne graveris, quò inter nobiles aula domesticos locum iam vacantem obtinere queat. Tute scis quò loco, quibusve servitiis iam olim emicuerint ipsius majores apud illustrissimam domum Nassovicam, ideòq; quò dicitur, memorem non monebo. Ipse sanè per quam honestè eductus, studiis liberalibus exercitatus, linguas etiam callet, et imprimis disciplina Mathematica scientiam sibi acquisivit. Ex quò nullus dubito, atq; adeò spondeo, quin locum, quem ambit, cum equalibus honestè pariter ac decenter tuitiorus sit. Hac et similia, prout res tum exigebat, dum Haga nuper essem, apud clementissimum Dominum coram exposui. Benignissimè autem, pro cætera sua ac penè innata comitate et facilitate, auditus, hoc tandem

discedens responsum tui, se nimirum velle illius meminisse,
quandocumque res eo deducta esset. Quod haud aliter
interpretari debeam, quam quod memorata sua
celsitudo dicti fratris mei Panhüisi rationem habi-
turus sit, cum in animo habuerit locum iam vacuum
supplere. Superest, vir amplissime, ut tu, qui molles
aditus et tempora fundi optimè novisti, data occa-
sione, ac quod commodo tuo fiat, huic negotio faveas,
idemque illustrissimo principi humillime intercessionis
meae memoriam refricare velis. Etiam atque etiam
obsecro, ut is qui et suo et sororis nomine mihi est
charissimus sentiat, meam hanc commendationem
aliquid apud te habuisse ponderis. Facio ut utrumque
tibi devotissimum non ingratum vicissim experiare.
Vale et salve quam officiosissime ab eo qui est,
Nob. et amplissime dne,

Amplitud. tuae
adhaerentissimus
Lamb. Goris

Dabam Noriomagi
An. 1639. 26 Martij

Mijn heer
Mijn heer Constantin
Huygens, Ridder, heere
van Zuylichem, Raet van
Sijne Hoogheit.

S^o Graven-Hage

